

(Littera, viiij. c. p. S. i. i.)

Lectis igitur in consilio litteris antedictis; florentini, dicentes res ad exercitum necessarię pro maiori parte deficerent, in ictu quasi arripuerunt iter, amicis sive subditis minime requisitis; victorioso tamen preeunte carrocio. Cum autem appropinquassent loco, quidam nobilis romanus civis, tunc dominans, dixit:

« Si ex una ex (sic) eadem stirpe nati, pari nobilitate gaudemus, amore consanguinitatis inspecto, decet vos auribus verba nostra percipere, ac ea in cordibus figere, ne depereant, ut antiqua fama que ceu sol super sydus omne nitescit, per nostra opera victoriosa virescat, et dicant gentes, quod licet per longa locorum spatia Florentia distet ab Urbe, non sunt eius tamen attenuate virtutes, nec est eius debilitata potentia. Cum igitur pisani nos in multis graviter offendissent; occupando sine labore bona nostra magnis fatigationibus acquisita, ac violenter eadem longo tempore detinendo, et sociorum nostrorum lucensium per audaciam terras intrassent, Deum et rationes habentes in contencitu mandamus vobis et districte precipimus, quatinus predecessorum vestrorum, qui nunquam inimicis denegarunt propositis respondere, utentes viribus et potentia, corde velitis esse primo prudentes, postmodum potentes in bello, sufferentes in laboribus, sollicitos in vigiliis, patientes in frigore ac calore, ut pro patria pugnatores, ut reipublice defensores, ut honoris et laudis pre aliis gentibus possessores obtinere credentes, et primo pati quam repellere non peroptantes ».

Placuit enim omnibus potestatis oratio: et repleti spiritu fortitudinis pervenerunt ad locum: et cum fuissent ibi consilia plurima de processu, surgens quidam nobilis dixit:

« Cum pisani super propriis domibus commorentur, et affirment vincere propter moram et asserant nos hic non posse longo tempore commorari, et nobis recendentibus, dicant cum lucensibus pugnaturos, cum sint plures numero obtinere credentes; oportet indagatione subtili nos providere processum, et quem possit finem processus generare, discutere. Item moram longam et comedibilium rerum defectum; item si lucensibus relictis in campo, noster esse poterit cum honore recessus. Cum igitur hec esse non possint quin deridamur ab omnibus et feteat utique flos diu olens, est opus viam apere ferro et ingenio vincere inimicos et arte. Expedit ergo super burgum qui Bientina dicitur equitare, ubi vel replebitur spoliis vel cum adversariis preliabimur venientibus in occursum. Sit itaque quisque sapiens et consideret ubi sumus, et qualem, si non obtinebimus, poterimus habere regressum ».

Cum igitur omnibus placuisse oratio, eadem hora, tertia pars civitatis et milites omnes equitaverunt ad burgum, in campo cum lucensibus ceteris remanentibus. Et cum invenissent burgum gente vacuum, et redirent spoliis repleti, burgo combusto; ecce pisani venerunt, Sarno flumine in medio fluente. Florentini vero obviam in flumine se facientes eisdem, bellum fortissimum agitarunt, et cum partem suam fluminis viriliter pars unaqueque defenderet, apparuit acies militum de bosco exiens, et irruens in pisanos, bellum forte fortius fecerunt cum eisdem; in quo ex utraque parte mortui sunt plures et ab adversa parte capti milites octuaginta, non de plebe, sed populo, et reliquiae in renibus clippeum facientes, fuge remedium petiere. Duravit enim fuga, flumen transeuntibus florentinis, per miliare, quasi per villam que dicitur Calcinaria, que combusta, cum dirueretur a calce est in calce versa. Unde versus. « Que nomen iuxta calx est effecta perusta »: caballis per prata ludentibus, et gentibus a longe tam magna videntibus propter pietate. His actis, cum consiliarentur quidam, dicentes exercitum tam florentinum quam lucensem esse penitus separandum, cum tot et tales essent capti, quod opus non erat amplius preliari; ecce senenses et marturenses venerunt manu forti, separatim ab exercitu pisano castra locantes. Tunc expiravit consilium illud, et

(b.)

Florentia regna dicit.

h/patiere

x. b.

Ita littera crux.